

ART. III. 298 DE STATV HUMILIATIONIS.

57. Quô respiciens prophetæ servum illum DEI non à λόγῳ, sed de terra viventium abscissum esse pronunciat. Ies. 53. 8.

58. Quia de quæstione per quam eruditè Damascenus differit, lib. 3. Orth. fid. cap. 27. Quanquam inquiens, Christus mortuus est, ut homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore: non tamen divinitas ab utroque separata remansit, ab anima inquam & corpore: & neque sic una hypostasis in duas dissecta est hypostases. Nam & tunc corpus & anima secundum idem à principio in verbi hypostasi habebant existentiam & ipsis in morte ab invicem separatis, unumquodque eorum mansit, unam verbi habens hypostasin. Quare una verbi & animæ & corporis fuit hypostasis: nunquam enim neque anima neque corpus propriam habuere hypostasin, præter eam, quæ verbi est hypostasis. Una cùm semper verbi hypostasis & nunquam duæ. Quare una semper Christi hypostasis. Quo fit, ut etsi localiter anima à corpore seperabatur, hypostaticè tamen per verbum vniebantur.

5.
Sepultus.
psal. 16.
10.

59. Postremus humilationis actus sepulturæ fuit proprius, quæ veritatem mortis Christi satis evidenter comprobat: ita tamen ut carnem Christi corruptionem non vidisse cum scriptura afferamus: